

## No. 54. 1301. 6. März.

*Vor Zeugen besiegelte Verabredung zwischen dem Probst Albert, Simon von Weyda und Heinrich von Threna bezüglich einer dem Kloster eigenthümlich gehörenden Hufe.*

Anno domini millesimo tricentesimo primo secunda feria proxima post dominicam qua cantatur Oculi mei semper conparentibus coram honorabili domino Alberto praeposito ecclesiae sancti Thomae in Lipzk Symone de Wida et Heinricho de Trenowe et pluribus civibus Lipzcensibus, idem Symon de Wida resignavit eidem domino praeposito mansum, quem ab ipso et ab ecclesia sua iure hereditario possederat, rogans ut eundem mansum Heinricho de Trenowe conferre iure quo possederat dignaretur. Praedictus vero praepositus maturo super hoc habito consilio iam dictum mansum praefato Heinricho contulit ad quinque annorum spatium possidendum, quo spatio completo idem Symon aut sui heredes reddent saepedicto Heinricho duodecim marcas argenti et recipient mansum suum. Quod si ipsi facere non sufficient, praepositus et conventus eius tamquam propinquiore, quia idem mansus proprietates eorum est, solvent duodecim marcas Heinricho memorato et ipsi Symoni addent tantum quantum plus mansus valere aestimabitur illa vice et recipient mansum suum cum favore et gratia omnium propinquorum. Testes huius facti sunt dominus Johannes de Burcharsthain notarius illustris principis domini nostri Th. iunioris Thuringorum Iantgravii, dominus Rudegerus de Geylnowe, Johannes Auriga, Conradus Papa, Johannes de Merica, Thidericus Sturm, Walterus de Torgowe, Rulo de Bergershain, Hermannus de Woluishain et alii plurimi fidedigni. Pro firmiori certitudine sigillum civitatis Lipzk praesentibus dignum duximus apponendum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem zerbrochenen Siegel der Stadt Leipzig an einem Pergamentstreifen.

## No. 55. 1301. 23. Juni.

*B. Heinrich von Mersburg beurkundet die Bedingungen, unter welchen Heyno genannt Mul von Hohstätt auf den Nachlass seines verstorbenen Bruders Heidenreich, Plebans in Banz (Panitzsch) zu Gunsten des Klosters Verzicht geleistet.*

Nos Heinricus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus notum facimus universis quibus ostensum fuerit praesens scriptum, quod Heyno dictus Mul de Honstete omni actioni et iuri, quod habere potuit in praepositum et capitulum canonicorum regularium ecclesiae sancti Thomae in Lipzk ex successione et assignatione bonorum Heidenrici quondam plebani in Banz<sup>a)</sup> fratris sui, cessit ac renunciavit taliter coram nobis, quod praepositus et capitulum dictae ecclesiae sancti Thomae pro omnibus petitionibus ac vexationibus amputandis praefato Heynoni dabunt duas marcas usualis argenti, unam in assumptione beatae virginis Mariae et aliam in festo

a) Panitzsch. Eph. Leipzig.